


1718, 18 41. 2.1

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS  Streit/
JCTUS,

CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

B. L. S.

de venia actat ip.

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.

41.

44

FACILITATE JURIDICE

JOHANNES


JOHANNES

JOHANNES

JOHANNES

JOHANNES





Nobiles claro stemmate orti habent,
quòd meritò sibi gratulentur, & su-
premo Procreatori gratias agant de
illustrioris sanguinis prærogativâ;
& omnes boni, inquit Cicero *in*
Orat. pro Sext. semper nobilitati fa-
vent, & quia utile est Reipublicæ,
Nobiles esse homines, dignos majoribus suis, & quia
valere debet apud nos clarorum hominum, bene de
Republica meritorum memoria, Herclè non leve ad
virtutem incitamentum est, Majorum res præclarè ge-
stas audire, eorumque imagines inspicere; sed vera
nobilitas virtutem conjunctam habet, ipse animus, *teste*
Seneca Epist. 44. nobilem facit, cui ex quacunque condi-

) (2

tionem

tione supra fortunam licet surgere, cui debentur variæ prærogativæ, inter quas numeratur meritò venia ætatis, de quâ loquitur Imperator Constantinus in *L. 2. Cod. de his, qui veniam atat. impetr.* dum ait: *Omnes adulescentes, qui honestate morum præditi paternam frugem, vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, & super hoc Imperiali auxilio indigere cœperint, ita demum atatis veniam impetrare audeant, si testibus idoneis advocatis, morum suorum instituta, probitatemque animi, & testimonium vite honestioris edoceant.* Jus hoc seu potestas concedendi veniam ætatis inter reservata Imperatoris elucet, quia hæc potestas olim fuit solius Imperatoris, à quo in alios dimanavit. Hodie, mutato Reipublicæ statu, ea etiam ad jura territorialis superioritatis à recentioribus referitur, siquidem Electores & Principes hanc veniam indulgent, quæ tamen extra territorium non extenditur. Potestas hæc in Imperatore eò est augustior, quò purior, ut à fonte proveniens, eò amplior, quò latius se extendit; eò dignior, quod veniam ætatis etiam illustrioribus concedat; exemplis id demonstrat *Herman. Hermes in fascic. jur. publ. cap. 9. num. 119.* Non tamen obstringitur Imperator ad observantiam *d. L. 2. in pr.* veniã impetratã, minor arbitrio suo administrare potest res proprias, perinde ac si foret major, neque restituitur, si res suas minùs idoneè administraret. *L. 1. Cod. eod.* res tamen immobiles sine Decreti Prætoris interpositione alienare, vel oppignorare non potest. *L. 3. Cod. d. t.* An autem, si minorem pœniteat veniæ, sit contra impetrationem ejus restituendus, disceptatur; Negativa se fundat in dict. *L. 2. de his, qui ven. atat.* Nam venia ætatis non conceditur, nisi causã cognita, & expensis accuratã

accuratâ lance morum ac honestatis meritis, sine offensa igitur autoritatis suæ beneficium collatum retractare Princeps non potest, quia forordix seipsum velut argueret. Respondent alii, quod autoritas Principis tam parùm lædatur, si veniam ætatis revocet, quàm parum offenditur, si auditis causæ meritis ferat sententiam, & documentis dein melioribus instructus, pronunciet contrariam. Certè veniam ætatis dum minor impetrat, non impetrat, quâ major, sed minor; ille enim veniâ hâc non indiget, si ergo beneficio Principis lædatur, non læditur quâ major, sed minor. Quamvis autem Imperator hoc Jus tian exerceat immediatè, vel mediatè per Comites Palatinos. *Fritsch. ad Linn. II. Tit. 9. n. 148.* Is tamen monet Comites Palatinos, ut cautè eo utantur, ne publicè, vel privatim alicui noceant. Plura plures ad *dict. L. 2.* scripserunt, quam pro Læctione Cursoriâ elegit

NOBILISSIMUS

ET CLARISSIMUS

DN. GABRIEL HEINRICUS

Silien /


Natus hic Erfurti 1693. Patre Nobilissimo & Consultissimo DN. MELCHIORE LUDOLPHO *Silien /* J.U.D. in hac Alma Universitate Codic. Prof. Publ. Ord. nec non Judicii Provincialis Assessor; Matre ANNA MAGDALENA, Viri quondam Magnifici Nobilissimi & Consul.

(3

Consultissimi DN. JOHANNIS HERMANNI de SO-
DEN, JCTI, Consilarii Electoralis Moguntini, Judicii
Provincialis nec non Facultatis Juridicæ Assessoris & re-
spectivè Senioris Filiâ. Horum Parentum prima cura
fuit, ut Filiolus ab originali labe purgaretur, quod &
feliciter levantibus ipsum Viro Nobilissimo ac Con-
sultissimo DN. HENRICO JOHANNE DE SODEN,
J. U. D. & hujatis Judicii Provincialis Assessore,
nec non Viro Nobilissimo & Amplissimo DN. GA-
BRIEL RICHTERO, JCTO Celeberrimo, & apud Lon-
givalenses Consule & Syndico meritissimo, b. m. pera-
ctum. Et quoniam à teneris virtuti asvescere multum
est, prælaudati Parentes non tantum infanti fundamen-
ta Christianæ Religionis instillarunt, sed & successu tem-
poris Præceptoribus privatis in bonis artibus & literis
informandum tradiderunt, quorum ductu sub fideli In-
spectione Parentis, talia incrementa cœpit, ut Anno 1706.
ad Gymnasium Senatorium, quod hic Erfurti floret, le-
gitimè promotus fuerit, ubi ferè per quadriennium Ce-
leberrimum *Dn. M. Zachariam Hagelium*, & præclarissi-
mos Dominos ejusdem Gymnasii Professores studiorum
Moderatores nactus est. Horum salutaribus Doctrinis
imbutus, Anno 1710. dignus judicatus fuit, qui ad ipsa
Studia Academica se accingeret, id quod & factum. Eo
ipso enim Anno, me Fasces Academicas tenente, Studia
Academica adiit, Collegiaque Dominorum Antecesso-
rum frequentare cœpit. Et quidem in Oratoria, Ethicis
& Politicis Reverendum *Dn. M. Christianum Sßerstädt* /
Pastorem Ilversgeh. vigilantissimum. In Logicis & Me-
taphysicis Reverendum *Dn. Johannem Kistingium*, S. S.
Theol. Doctorem, P. P. & Pastorem quondam Ecclesiæ
vulgò

vulgò Mercatorum, postea Superintendentem Borne-
sem, b. m. in Mathematicis Consultissimum *Dn. Jobum*
Ludolph, J. U. D. & Prof. Mathematicum b. m. in Histori-
cis & Geographicis *Dn. M. Zachariam Hogelium*, P. P.
Præceptores habuit fidelissimos, insuper etiam Collegiis
Philosophicis tam publicis quam privatis Nobilis & Cla-
rissimi *Dn. M. Volmari Wilhelmi Stenger*, P. P. nec non
Reverendi *Dn. Mauri Suarti*, S. S. Theol. Doctoris &
P. P. Monasterii Scotorum tunc Prioris interfuit, nec
non Reverendum *Dn. M. Ridelium*, Ecclesiæ vulgò
Mercatorum Diaconum nunc Pastorem Jus Naturæ tra-
dentem sedulus audivit. Dein Studio Juridico singula-
riter se consecravit, sub privatissima fidelissimaque
Manuductione prælaudati Domini Parentis sui integrum
Juris Cursum absolvit, qui ipsi non solum Institutiones
Imperiales exposuit, sed & Pandectas juxta Lauterbachii
Compendium, & Syntagma Juris Civilis *Dn. Georgii*
Adami Struvii, ac Dissertationes *Dn. Schnobelii*. Expli-
cata porro ipsi sunt in Jure Canonico Erotemata *Dessé-*
lii, in Jure Feudali *Dn. Strykii* Jus Feudale, in Jure Publi-
co accessit *Jacobi Lampadii* Tractatus de Republica Ro-
mano-Germanica, ut adeò à laudatissimo *Dn. Parente*
suo per omnes Juris Articulos cum summo fructu fue-
rit ductus. Nec in privatis tantum, verum etiam in
publicis frequentandis Lectionibus impiger semper ex-
stitit. Siquidem Magnificum & Consultissimum *Dn.*
Job. Henr. Meier / Electoralis Regiminis hujatis Consilia-
rium, Facultatis Juridicæ Assessorem & Seniore, Col-
legam meum honoratissimum in Prælectionibus publi-
cis ad Brunnem. LL. Cod. uti pariter Nobil. & Consul-
tiss. *Dn. Wincop*, Eminentissimi ac Celsissimi Principis
Electoris

Electoris Moguntini Domini nostri Clementissimi Cancellariæ Vice Directorem, Jus Feudale & Canonicum publicè docenti summa attentione auscultavit. Anno deinde 1716. Causas Clientum dicturus, jurejurando est obligatus, ipsique simul Exercitium muneris Advocatorum hic clementissimè concessum. Nunc ad Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia Doctoralia adspirans, ad Examen rigorosum admitti petiit, admissus, Textus ex Jure Canonico & Civili transmissos doctè adeò & solidè exposuit, & ad Quæstiones propositas ita respondit, ut Gradu Doctorali unanimi Consensu dignissimus judicatus sit, proinde proximâ die Mercurii Lectionem Curforiam ad *d. L. 2.* horâ nonâ matutinâ habebit. Ad quem Actum solennem Magnificus DN. RECTOR, Domini Proceres & Cives Academici perhumaniter invitantur. Publ. sub Sigillo Facultatis Jurid. xi. Septembris 1718.



Ertmer, Diss., 1718

ULB Halle 3
004 324 196




A

v. 78


Sl.







1718, 18
41.
21

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS,
JOANNES PHI-
LIPPUS  Streit/
JCTUS,

CONSILIARIUS REGIMINIS
ELECTORALIS,

*B. L. S.
de venia a se habet.*

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
ACAD. TYPOGR.

41.

